

II.

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 83.

Politica Mortuorum Colloquia.

Eysia m-Meum, Die Martis 20. Nov. 1810 (Neov. 6. Nov. 1810.)

Dulce & decorum est pro patria mori.

Colloquentes Manes.

Joannes Blanc — Arthur Capel.

J. Blanc. Nisi illusio mentis subversetur, strenuum Gloucestræ defensorem coram intueor.

A. Cap. Et mihi nobilis Joannis Blanc fortis exemplaris mei, conspectu recreabitur.

J. Blanc. Ambo officii nostri partes explevimus, quod sensum eximium vocis hujus callebamus, qui Deo, Regi & patriæ deberi vitam nostram sciebamus; quodque eam necessitate ita poscente, cum immolatione cujusvis nobis carissimis ultro & sponte consecrandum habeamus, — quo magis admiror: hodiernis temporum adjunctis, prout ex adventantibus isthuc umbris intelligimus, adeo paucos nos nactos imitatores, quos tanto certiore obtinendi spe ducebar, quo majores mundus in Cultura processus fecit. —

A. Cap. Ipsa hæc Cultura mentis dilecte animo Blanc! rationem fortassis continet, eique tribuendum: quod Præfetti arcium hodierna ætate non tam rigide Officio

suo fungantur. — Fortassis novioribus in bellis, quibus ars obsidendi oppugnaudique fortalitia adeo ad perfectionem deducta, strenuitas, obstnacia, temeritas, pertinacia censita fuisset.

J. Blanc. Ast obsecro, defensione munimenti, hostilis exercitus operationibus obicem poni certum est — ejusque adversarius, quantumvis praelio victus, tempus consequitur vires colligendi, copiarum numerum complendi, verbo: ad ea adjuncta rem perducendi, ut denuo frontem hosti opponere possit.

A. Cap. Ita se res olim habuit, hodie alia ratio est — quippe duos exercitus decretorisi proelio intercedente, pars altera ita cædi solet, ut de restaurando vires, supplendo copias, nulla cogitatio supersit, ut acies Jenensis probat. — Etsi Kleistius forte munimentum Magdeburgum strenue defendisset, ad summum, corpori militari Exercitus hostilis moram injecisset — at fors Monarchiæ Borussiae jam dies ad Jenam diremit.

J. Blanc. Equidem huius sententiæ non ad stipulos. — Praefectus enim arcis adjuncta operantis perspecta non habet, sed largiamur: ea sibi cognita habere, an, quæso, adjuncta incidere nequeunt, quæ mens hebeti ingenio præditi mortalis rationibus subductis definiendo impar est, quare axioma meum continuo perseverat: ab officio nec lato unquam recedendam esse.

A. Cap. Sententiæ huic plene suffragor, si homines ad ætatis nostræ rationem exigantur.

§. Blauc. Aetati in hoc argumento nihil commune est; etenim & hodierna ætas exempla suppeditat virorum officii sui tenacium; argumento sunt, obsidiones Landaviæ, Valenciæ, Gaetæ & aliorum propugnaculorum. Ceterum miror a Turcis arces hodie non tam strenue, ac olim, defendi, qui tamen alias ceu optimi arcium milites, & præsidarii describebantur. Silistria, Rustschuk, Giurgeva, Kladova una expeditione cedere, obsessi quidem se defenderunt, at hæc defensiones cum priorum bellorum defensionibus nec comparari possunt. Profecto stupore hodiernum dignum ut dum 1686 Austriaci, Poloni, Venetique adversus Ottomannos foedere uniti fuissent, Polonicus Bellidux Moldaviam ingressus pro modico præsidio Nemez stationem fixerit, paullo ante cuncti Incolæ eo excessere, 19 duntaxat Moldavi venatores eo continebantur; & pauca hæc hominum manus imperterritè deditiõis propositionem rejecit. Quatuor continuis diebus arx ignitis globis impetita quinta, denis obsessorum cæsis, residui 9 honorificam Transactionem (Capitulationem) obtulere & impetravere; quanta admiratio obsidentes non incescit, tum apertis portis seni non plures, ternos saucios humeris suis deportantes in conspectum prodirent? Fortes Athletæ eximii. ornati cuncti ad suos dimissi sunt. —

Superi quid est, si hoc ad officii amissionem agere, non est? —

A. Cap. Heroicæ virtutis iudicia & hodierna ætate haud rara sunt, quamquam hoc factum omnem excedat expectationem. Sed eminus conspicio novas umbras charontis cymba egredi, oramque Elysii exscendere, age, sis, quas novitates ex superiore mundo attulerint sollicitemur.

Algerio die 28. Sept. Consilium maritimum Algeritanum die 8. h. jussu Excellmi hujus Regiminis Præfæcti congregatum decrevit: portus Tunetani Regni intra trimestre a memorato die spatium obsidione vincendos, & evoluto hoc termino naves memoratis excedentes portibus cujuscunque demum nationis etiam fuerint, Confiscationi subjectas esse. Decretum isthoc residentibus in hac urbe Europæis Agentibus promulgatum, ut de eo regimina sua certiora reddant.

Petita a Præsidi Consilii Maritimi declarationi is die 10. respondit: merces duntaxat, nequaquam naves, confiscandas esse; nautas liberos declarari, finemque regimini esse, Tunetanum Regnum Commercio, & eo intuitu activi, ambos Status intercedentis, belli spoliandi.

G a l l i a.

Parisiis 2. Nov. Majestas heri ex Fonte Bellaqueo seqv. Decretum edidit:

Art. 1. Quævis Tariffæ Decreto de 5. Aug. definitæ, subjectæ Colonicales merces ex Insula Franciæ, Batavia, aliisque Jure no-

stro parentibus Coloniais, tam in Orient. quam Occid. Indiis a quibusvis telon. præstationibus immunes sunt, directe Gallicis, aut Hollandicis navibus portus nostros subeuntes.

Art. 2. Coloniales merces ex iisdem Coloniais advectæ, dimidium duntaxat definitarum Decreto nostro de 5. Aug. præstationum dependent, Americanis allatæ navibus.

Art. 3. Navium litteralia documenta, quibus Article 1 & 2 præscriptas Conditione effectui datas esse demonstrari potest, nobis in Collegio Commerciali substernenda, ut de eorum autentia statuere valeamus.

Art. 4. Præsens Decretum vim retro agentem habeat, effectumque sortiatur ac si die 5. Aug. editum fuisset.

Commercium Anglicanum in M. Balthicum.

Hac ætate secundum specialem Elenchum, sequentes Anglicanæ Mercatorie per Fretum Balthicum (Belt) transivere, quæ una earum, a Daes Haad usque Insulam Sproe per bellicam Anglicanam Hero adpellatam, duce Capitano Neumann.

Ex Anglia.

Majo 30. Pps. Carol. Mars & Fury cum 350 vel.

Junio 6. Minotaurus & Prometheus — 180 —

— 220 Edaar, Saturnus, Ligeris, &

Eurus cum 300 —

Aug. 19. Orion & Lightning — 203 —

S. totalis 1033 velorum.

In Angliam.

Majo 31. Edgardus, Orion, Satur.	cum 200 vel.	
Junio 10. Martialis & Flamer		— 77 —
— 21. Solebay Tury & Wragler		— 170 —
Julio 9. Ariel & Fury		— 170 —
— 21. Standard & Flamer		— 212 —
Aug. 3. Orion & Huffer		— 120 —
— 20. Pyramus & Woodlark		— 216 —
		<hr/>
		S. 101. 1195 —

*Bajona die 26. Octob.**Jussum diurnum.*

Jussu Maj. Imperatoris decretum: ut quibusvis in stationibus orarum 11 militarium Divisionum, quibus ex adverso hostiles circulatores consistunt, in honorem relatæ a Gallico exercitu ad Almaidam victoriæ e tormentis salutationes instituantur.

Hæ explosiones duntaxat in oralibus stationibus & eo loco instituendæ, quo Anglici circitores testes rei esse possunt.

DD. Generales & Sup. Officiales qui in Divisionum Departamentis imperium tenent, executionem memorati Jussi sibi demandatam habent, atque Generalem Divis. Ducem de salutationibus editis certiores reddunt. —

Bajonæ 26. Oct. 1810.

Gen. Div. Præf. XI. mil. Div.

Quesnel.

BIOGRAPHIA.

Joannes Blanc illustris civis primarius Consul Perpiniaci, Occitaniæ nobilis propugnaculi, quod ille Anno 1474 obsessum defendit. Occasione eruptionis filius ejus in hostium incidit manus. Duces hostiles defensori arcis nunciarunt: ab iis filium in conspectu patris confossum iri, ni confestim urbem dederit. Ego Regi meo fidelitatis sacramento ad obitum usque obstrictus sum, renunciavit Blanco, si homicidium patrare vobis lubet, sicam meam vobis commodabo. „Perpiniacum nihilominus tuebor” filius furoris hostilis victima fuit. — Blanco urbem tum primum dedit, cum a Rege jussus, postremusque equus & canis in urbe cæsus & consumptus fuisset.

Arthur Capel Baro ab Hamdan, Gubernator erat Glocestræ cum Fairfax Dux Copiarum Parlament. locum hunc 1646 obsidisset, cum Arthur nihil de ditione audire vellet, Fairfax ejus filium Londini literis operam dantem accersiri curavit, ut patrem ad faciendam ditionem permoveat. Septemdecim annorum juvenis id facere detrectabat, asserens: patri melius scire quid sibi faciendum, pueri Consilio hand egere; quo ille, ut erat ferocientis animi, dicto commotus detrahi juveni vestes jussit, denudatumque vallis obsessæ arcis adduci, ut pa-

tri inelamaret; hic vallum conscendit, videt
 dulce pignus seminudum, denos, qui stri-
 &is inermem adolescentem pugionibus stipa-
 vere. — Decerne, inelamat quidam e Fair-
 taxii Centurionibus, aut deditiōnem Gloce-
 striæ hodie, aut filii sanguis tui fundetur.
 „Horrore percitus arcis Præfectus paternos
 oculos in dilectum natum conjicit, tum incre-
 ditam fidei suæ urbem retorquet, atque ex
 maenibus inelamat filio.” Macte animo na-
 te! memento Dei & regis tui! — Ter ita
 vociferatus, urbe repetita admonuit Præsi-
 diarios ad fortitudinem, non ut filium sed
 regem ulciscerentur.

Secr

Elysiu

I
 gn
 abs
 temp
 tur,
 dem
 bet,

ligen
 Abba
 minu
 quivi
 vene
 ment
 platu

C
 Saxon
 dediti
 bi oc
 dition
 etate